Diözese Passau / Salzburg,

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Scripsit autem et titulum pilatus et posuit super crucem. Erat autem scriptum: Jhesus nazarenus rex iudeorum. Hoc igitur titulum multi legerunt iudeorum. quia prope erat locus ubi crucifixus est ihesus. Et erat scriptum hebraice graece et latine. Dicebant igitur pilato principes iudeorum: Noli scribere rex iudeorum: sed quia ipse dixit rex sum iudeorum. Respondit pilatus: Quod scripsi scripsi. Milites uero cum crucifixissent eum. acceperunt uestimenta eius. et fecerunt quatuor partes. unicuique militi partem. et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis: desuper contexta per totum. Dixerunt igitur ad inuicem: Non scindamus illam. sed sortiamur de illa cuius sit: Ut scriptura impleretur dicens: Diuiserunt uestimenta mea sibi: et in uestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hec fecerunt. Stabant autem iuxta crucem ihesu mater eius et soror matris eius maria cleophe et maria magdalene. Cum uidisset ergo ihesus matrem et discipulum quem diligebat: dixit matri sue. Mulier ecce filius tuus. Deinde dixit discipulo. Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Postea sciens ihesus quia iam omnia consumata sunt. ut consummaretur scriptura dixit. Sitio. Vas igitur positum erat aceto plenum. Illi autem spongia plena aceto hysopo circumponentes obtulerunt ori eius. Cum igitur accepisset ihesus acetum dixit. Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Judei igitur quoniam parasceue erat ut non remanerent in cruce corpora sabbato. erat enim magnus ille dies sabbati rogauerunt pilatum ut frangerentur eorum crura et tollerentur. Venerunt igitur milites: et primum quidem fregerunt crura et alterius qui crucifixus est cum eo. Cum autem ad ihesum uenissent ut uiderunt eum iam mortuum non fregerunt eius crura. Sed unus militum lancea latus eius aperuit: et continuo exiuit sanguis et aqua. Et qui uidit testimonium perhibuit et uerum est testimonium eius. Ille scit quia uera dicit: ut et nos credatis. Facta sunt enim hec ut scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit. Videbunt in quem transfixerunt. Post hec